sua clementia, hominem luminibus veluti duplici sole
donare ditareque voluerit, illos in capite tanquam in sphae-
rula ministrae ad usus necessarios fecerit ac collocaverit.
Hi mihi quidem ipsi oculi cognationem vel magnam cum sy-
deribus habere videntur. ut enim in magno mundo lucet
sol, ita in homine sua quaedam lumina velut sydera con-
dita sunt. Sol omnium astrorum nobilissimum locum altis-
simum obtinet, omniaque caetera luminaria splendidissimis
radijs suis illustrat. Oculi, inter caeteros sensus praestantis-
simi, tanquam speculatores in altissimo loco collocati sunt,
et ad omnia perficienda homini maxime necessarij. hinc
visus à Philosophis inventionis sensus, quemadmodum auditus
doctrinae sensus appellari meruit. Sole nihil est in hoc
spectabili mundo vel ad speciei pulchritudinem, vel ad rerum
gignendarum commoditatem foecunditatemque, vel ad incredibilem
rerum omnium varietatem in humanos usus invehendam effi-
cacius. Oculo, in ~~mico~~ μικροκόσμῳ seu parvo mundo (qui
homo est.) nihil speciosius, nihil ad inveniendum aut inve-
stigandum utilius, nihil ad ea quae inventa sunt perficien-
da convenientius aut magis necessarium. Sol is est, qui
vitalem vim ac salutarem corporibus atque animantibus commu-